

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Svmmvla Selectarvm Qvaestionvm Regvlarivm

Bonagratia <von Habsheim>

Friburgi Brisgoiae, 1665

§. 2. De iure canonico

[urn:nbn:de:bsz:31-160625](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160625)

catur id, quod statuitur in vniuersali Concilio, largo tamen modo continet etiam alias Constitutiones Ecclesiasticas, quàm concilij generalis, vt tradit Barbos. *in c. Canon. d. 3.* hinc Ius Canonicum.

§. 2. De Iure Canonico.

5. Ius Canonicum describitur.

6. Componitur ex Decretis Pontificum, vel Conciliorum.

V.
Ius Canonicum describitur.

Ius Canonicum describit Barbos. *max al- legato l.* quod sit Regula, qua homines ab Ecclesiasticis Prelatis ad rectè viuendum ad spirituale bonum diriguntur. Componitur autem ex Decretis Pontificum vel Conciliorum, factis ad normam Iuris diuini & naturalis, ex S. Pagina SS. Patrum documentis, nec non & sæcularium Principum constitutionibus seu legibus. Decreta Pontificum vsque ad Innocentium X. inclusuè, magno labore ac diligentia collegit Laertius Cherubinus, & in vnum quasi corpus coniecit sub Bullarij Romani nomine. *Statuta Conciliorum* alia sunt *generalia*, seu *vniuersalia*, quæ SS. Patres ex vniuerso orbe in vnum conuenientes, iuxta fidem Euangelicam & Apostolicam condiderunt; alia *Provincialia*, quæ

VI.
Componitur ex Decretis Pontificum, vel Conciliorum.

quæ sunt in Concilijs, quæ propter Ecclesiasticas causas per singulas Prouincias, conuocante Metropolitano Episcopo omnes Prouinciales Episcopos, & Cathedralium Ecclesiarum Capitula, celebrari placuit; alia demum *Episcopalia* seu *Synodalia*, quæ fiunt in Synodis, quas Episcopus cum suæ Diæcesis Abbatibus, Presbyteris & Clericis celebrat. Inter cætera Concilia sunt quatuor, quæ totam principaliter Christianam fidem amplectuntur, & S. Gregorius Papa velut quatuor SS. Euangelia suscipit & veneratur, *Nicanum* contra Arium; *Constantinopolitanum*, contra Macedonium; *Ephesinũ*, contra Nestorium; *Chalcedonense*, contra Eutychem, hæc vna cū alijs generalibus 18. numerum non excedunt, quorum acta cum quamplurimis Prouincialibus & Synodalibus in plura volumina congefferunt Binius & Sirmondus, in exiguam Summam redegit Carranza; copiosè magis & accuratè noster P. Coriolanus; solerter, & methodicè P. Gregorius Auenionensis. Decreta Pontificia simul & conciliaria compendio continet Codex seu liber, qui Corpus Iuris Canonici nuncupatur.